si vicero, palma tua erit. Sin vero victus victo victoria debebitur. mihi hoc tempore nihilminus concedit, quam plura tecum colloqui, post ubi otium concedetur, fabulabor a mane usque ad vesperam. Literas tuas contine intra fines Germaniæ, ne errent in Italia. Ego n. nihil magis meditor, quam reditum, cui solum obstat pecunia, qua habita alas mihi connectam, sin illa tardaverit, ego tamen ibo. Volo omnino tuos Nurenbergenses salutare in Februario. Nunquam magis poenituit me coepti mei, quam quod tecum non abierim simul, ita multa mihi fuerunt post discessum tuum molesta, ut taceam temporis jacturam, quæ semper per se gravis nullius commodi gratia bonas horas perdere debet apud homines studiosos. Legi Martini lucubrationes in Eckianas argumentationes, quæ me simul gravem et ridiculum faciunt. Rideo levitatem in Eccij sapientia, et Lutheri majestatem in Scriptura usu admiror. Quo flectet se ille? In silentio est magnus pudor ingenio insolenti. Responsio vero unis nuptiis geminas faciat. Disputationem Lipsiensem existimo persimilem puerilis lusus. Ideo non arbitror constitutos judices ullos arbitrij censura. In hoc n. sapientes erunt, si malerint ab aliis discere. Salutat te domus nostra imprimis Petrus Lukenbach, qui ad latus assedit hoc scribenti. Ex simposio raptim, Bononiæ Nonis Januarij. M. D. XX.
Hic nihil novi, vetera omnia.

Crotus Tuus.

34) Doctissimo Integerrimoque Sacrarum Literarum Interpreti Wittenbergæ Doctori Martino Luthero Amico suo Venerando.

S. P. D. Salvus ex Italia reversus substiti hic apud multos Fuchsos, tui nominis imprimis studiosos; venit eodem

paulo post

paulò post Hatthenus meus, non inito de hoc ullo inter nos con-
silio; sed ut mihi firmiter persuadeo, ita amicos tandem
de improviso commutante Christo, qui nullo sacrificio æque
gaudet ac mutua charitate hominum. Cum itaque Pascha
celebraremus caneremusque; Hoc est dies quam fecit Domi-
nus, exultemus et laetemur in eâ, incidit in sacra sacrum
sententiarum Lovaniensium et Coloniensium, Hattheno
missum ab Erasmo Roterodamo ingens sanè materia,
et ad ridendum et ad stomachandum, nos risu cum festiva
ut pia laetitia conjunximus, indignationem verò ad Davidis ci-
tharam demulcebamus, ne ad prx [peccati] nectam pertingeret, quan-
quam sine peccato non legimus, et peccatum erit, quicquid
ab animo indignatione commoto proficiscitur. Non n. ita
sumus Stoici, ut animos nostros ab omni aegritudine libe-
ros tueamur. Praesertim cum indignemur eos insanire
indicibili audacia in ludibrium Germanici nominis, in
contumeliam religionis, in perniciem innocentiae, per
quos imprimis illustrari debuit Germania, religioni suus
stare honos, minimè laedi innocentiâ, in hac opinione
jucundo quodam assensu me semper continui, si qui velint
cantorem vitae pro se ferre, tenere lucernas ardentes
in manibus suis gladio Spiritus Sancti causam ferentis
defendere, pro salute fratris animam suam ponere; in his
oportere Theologos nomen suum profiteri, at longè aliter
habet, vix ulla tyrannis inimicius inter Christianos bac-
chatur quam Theologorum, eorum praecipuè qui Monachi
vulgò ac haereticae pravitatis inquisitores appellantur,
Pro candore sunt tenebrae, et infelix invidia, pro virtu-
tum lucerna spirant è naribus ignem, ut inquit Poëta,

pro gladio Scripturæ succedit gladius carnificis, pro verbo Dei fucus
sophisticus, pro salute fraterna animum afferunt non eum qui-
dem, qui sit Christi bonus odor charitatis unguento redolens,
sed qui tetro mortiferoque habitu tetræ invidiæ grassetur in
viscera proximi. Sedet mihi adhuc in memoria auditum in
Colonia immanissimum factum plus quam sanguinarium ab
Hochstrato editum in Germania inferiori, quod recordans
horresco, quo magis tibi cavendum erit à S. fratribus sangui-
nem sitientibus, in forte initio jam tecum decreto exem-
plo Hussi de augendo numero Christian: martyrum, à quo
proposito si possem, te averterem, quomodo enim sanctus eris
non donatus à Pont: Max: civitate sanctorum? penes quem
solum stat ea potestas, ut nuper est cognitum. Ille verò te
donabit, cujus authoritas per te languet, ac cujus indulgen-
tiæ disputatione tuâ enervatæ esuriunt. Nihil proderit
lavare stolam in sanguine agni. Ad æternam vitam
quid opus est bulla Ecclesiæ repræsentativæ et assensu ma-
gistrorum nostrorum; sine quibus repulsam patieris sancti-
tatis apud coeleste tribunal. Ô Christianam infelicitatem!
ô priscam fidem! Itane oportuit omnia divina huma-
nis cedere? atque condemnari? Eat nunc aliquis et neget
Ecclesiam Dei gravissimo persecutore concuti, quod cum
ante aliquot annos liberius, quam hæc tempora ferunt,
dixissem, quandamque maratta oraneam gravem argento
minus superstitiosè coluissem, opinione cujusdam magni
Patris amici tamen habitus sum hæreticus, adeò peculiare
est huic seculo odiosum id nomen magno argumento
quam frigeat charitas, sanctissimum Christianorum vin-
culum, Christus suo in populo tracta levem certè
ignominiam

ignominiam ferre noluit, idemq; judicia severè jussit cohibere. Tibi verò quod Scripturam reverentius tractas quam filii Theologorum, nedum Racha, verum etiam hæretica labes aspergitur; imò verò leprosum criminant et ferreum nasum impingunt ac Sathanam proclamant. hi tamen modesti sunt et tu inverecundus. Mihi verò omnis iracundiæ Christi etiam obliti videntur, qui sententiam adeò socors et ridiculum tanta auctoritate audent in vulgus disseminare, unde illis vis de alieno servo judicare? qui Christo aut perit aut manet. Librum inquiunt ac tractatus doctrinaliter damnamus et de medio tollendo censemus, ignisq; cremandos et autorem ipsum ad revocationem et abjurationem supradictorum cogendum. Ubi est illa doctrinalis damnatio? proditane est? an lucem timet? Ita mihi persuadeo, quippe quod Sylvester priores hujus tragoediæ puppis et prora non audeat sese cum suo contra te sentimento emittere judicio orbis Christiani; an existimabimus Lovanien: sive illorum fratres Colonien: omnium mortalium pertinacissimos, Sylvestro et potentia et doctrina inferiores, suas nugas edituros? Mira hominum ruditas. cæterum mortalium progressu ætatis crescit usus et experientia, cujus rei experimentum in animantibus quoque ratione vacantibus animadvertimus. Illis acutis hominibus ademit dies prudentiam, ut rectè cum Poeta dixeris,

Haud equidem credo, qui sit divinitus illis
Ingenium, at fato rerum prudentia minor.

quam gratiam debent sophisticæ suæ sapientiæ, ἐπειδὴ κακῶν διδασκάλ' κακὰ τὰ μαθήματα, μᾶλλον δὲ πονηρῶν σπέρματ' πονηρὰ τὰ γεώργια. In causa Capnionis longè

prudentius dum se gesserunt, damnatione librorum exiguo tempore probationem accusationis præcurrente. Quo viti nunc omisso aut ignavia accusabitur aut imprudens malitia prodet mundo. Porrò si nihil habent, diffiduntqꝫ suis viribꝫ, judicio omnium damnatꝫ es tu non doctrinaliter sed Lovanialiter. Quemadmodum & multis incutitur Pontificius fulmen Romanaliter non Christianaliter. Sunt n. novis erroribꝫ nova confingenda vocabula; sin non scripserunt aliquid, premunt tamen propter eum, quem expectant sociorum assensum, quo simul provenientis multitudine te opprimant, quo consilio, cum in Italia tum in Germania multum laboratur. Iterum in se ob maxam capitis odium conciliabunt, quod audent Christianum hominem publicè damnare causa non publicè probata; potest etiam fieri, ut socii mutata sententia nolint doctrinali damnationi subscribere, veluti rumor de Erphordiensibꝫ nostris circumfertur. Dorpius rectè apud Lovanienses assensum suum cohibuit, cujꝫ authoritas plus valebit apud Eruditos, quam totius scholæ judicium; sed etiam minus insanientes aliquando ederent, quo in præsidio Scripturæ frivolas nugas, tanquam vas figuli confringeres, ac insignem stultitiam gladio Spiritus S. jugulares. Non n. erit tibi magna in hoc negotio difficultas, simulqꝫ ut appingeres suam reverentiam reverendi Cardinali dertusi; quem sibi dignum cooperculum caseamqꝫ casei invenerunt ὃν τὸ σπερμολόγος δεδόξε καὶ ἀναίδεροι ubi voluit majestatem Ecclesiæ virtualis mundo ostendere, sic loquitur cum modestia in re non intellecta. Miror valdè quod homo tam manifestè

manifestè, tamq; pertinaciter infidè errans et suas here-
ses omniquaq; diffundens impunè errare et alios in per-
niciosissimos errores trahere sinitur, dixerat prius pari
modestia, vidi errores Lutheri, qui sanè tam rudes, tam
palpabiles hæreses mihi præ se ferre videntur, ut ne
discipulus quidem Theologiæ ac prima ejus limina ingressus
ita labi meritò potuisset; quis hunc Rm in Christo pro-
fitebitur? aut galerum ejus funibus nodosum vel syrena
longo tractu à tergo hanc serpens venerabitur? Quis
ultrò currentibus eaq; per se ferentibus calcaria addidit, et
cum in tota epistola sit sordidus, illotus, impudens, levis, inde
tamen flores legunt Magistri nostri dignos naribus sophisti-
cis, hoc equidem sibi accommodant, nisi is ab illis acceperit, et
ex hoc maximè hæreticum esse. Multos habes Martinus
se probat, quod se paratum profitetur hæreticum esse.
Multos habes Martine socios in ea hæresi, etsi torcular
solus calces, verum quam multi velint tecum ignem subire,
puto pendere omnem sapientem à dono coelesti, disputent
acuti homines damnentq;, ut libet. Nusquam apud me
in dubium vocabitur, quin quivis mortalium justificatus
per fidem accessum habeat ad deum, exultent ipsi sua
satisfactione, nos ubi fecerimus omnia, quæ nobis mandata
sunt, adhuc inutiles servi sumus, nihil habentes, quam quod
gratis accepimus; placeant tibi sancti viri suo merito, et
mercedem pro factis postulent, ipsi credentes in eum, qui
vivificat impium ex fide amplius et à poena et à culpa
liberi sumus. Natent ipsi infidè à remissa culpa pro-

poſūnt sibi poenam, quam non linguæ centum oraq; centū
ferrea vox narrando poſſint conseqūi. Nobis obliviosis, quib;
recta differentia inter lethalia et placabilia non constat,
ſufficiat gemitus cum lachrymis, ab occūltis meis mūnda me
Domine; sit sanè cuilibet creatura Pontificis vera religio,
ūnūm novit conditorem, trahant sacræ literæ sūūm robur
aūthore Sylvestro tūo ab Ecclesia repræsentativa, permittat
hæreticis lumen cordis ſurſūm elevatis precari: Revela
Domine ocūlos meos et considerabo mirabilia de lege
tūa. Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis
meis, hūjus luminis deserti et iampridem relicti patrocini-
um, ūt facis, ſūſcipe Martine Theologorum integerrime,
et virtūte qūam in te colimus ostende, quid intersit inter
creatūram Pontificis et Dei; introduxit te Rex in cūbicū-
lum ſūūm et dedit tibi linguam erūditam, ut facias
reprobare malum, et eligere bonūm, cognitus mihi qūidem
es, sed qūotidiè magis magisq; appares, post nūbila sen-
timenti ortus nobis est sol, vidimus, qūâ arte, quâ in-
dūstriâ consules damnationem doctrinalem et Luthero-
mastigas, admiramūr eruditionem, ingenium exposcula-
mur, sūmmè placet, quòd ita temperas gravia cum jūcūn-
dis, amara cum dūlcibus, quod non prius sentiatur haūstūm
absinthium, quam fūerit admiſſūm intra viscera illinis
et pingis qūoq; suis coloribus. Ego Martinum meum non
satis perspectūm habūi ob tot annis intermiſſam consuetū-
dinem. Eras in nostro qūondam contūbernio musicus et
Status erūditus. Nuper vidi pugilem Entellūm cūm Serre Da-
rete congredientem in harena. Deinde prodūsti venator ala-
cer capto

cer capto sevo capricorno, nùne graphicè jùdiciùm Theologisticùm depingis, quem te demùm habebimus? In qùo artificio vis palmâ donari? Mihi supereſse videtur Statuarius; Age ergò Optime Solicre te exponere nobis de victis hostibus arcùs triùmphales de marmore vivo, qui est Christus Jesus, qui te custodiat ab ore Leonis et à cornibus inimicorùm Sophisticorùm per omne aevùm. Franciscus de Sickinger magnùs Dux Germaniae nobilitatis, petit teste Hùttheno ad se fùgias, à qùo tranqùillitatem, Theologicam domum, ministrùm, justum, asylùm, contra insidiatores, ceteraque vitae necessaria abùnde sis habiturus. Quâ de re mùlta Huttenus ad Melanchtonem, non est contemnenda tanta benignitas, in nùlla re tantoperè exercent ingeniùm S. patres quam qùod animùm Friderici Principis abs te alienent, ut praesidio omni exùtùs tandem cogaris ad Bohemos confùgere, in quo casum nominis et doctrinae tùae ponùnt. Nosti in quem contemptum abiit hoc nomen et opinio aetate comprobata, quid valeat, Jùdas non dormit, et Eccius tùus agit Romae   providendum itaque, et ratio habenda de futuro meo consilio per epistolam, retinendus est in officio Franciscus, ne suam erga te benevolentiam sperni arbitretur. Is ùnis literis pro Reuchlino plùs terrùit Dominicistas, quam tot Caesaris et Pontificis. Revixit per Basileenses Johannes Hùssus miserè extinctus tyrannide Thomistarùm. Quid tandem tutum erit? Ubi tam sancta scriptùra judiciùm merùit? Sed non est extinctus, vivet donec vivet veritas; contabuit verò ac in suam cinerem abiit illa dùdata invidia. Epistola tùa diversam

mecum sortita fortunam, ubi ego redeo in Germaniam, illa intrat in Italiam nondum regressa. Vale Babenbergæ IIII. Cal. Maij M. D. XX.

26.7.

Crotus Rubianus

P.S. Non te onero Martine, mitto literas ad Hessum, si adest, ut quidam affirmant, redde, sin forma falsus, concerpe, aut concede hospitium donec veniet, veniet etenim istum, quo Martini doctrina melior fiat. Huttenus discedens jussit te salutare, proficiscitur ad Ferdinandum non sine tuo et rectorum studiorum comodo, is ostendit nobis epistolam Erasmi Roterodami, quâ te pleno ore apud Episcopum Moguntinum comendat, mittitur exemplum ad te, cumque etiam et lege doctissimi viri doctissimum praeconium. etc.

35/ Dilecto filio nostro Alberto tit.li S.ti Chrysogoni Presbytero Cardinali Maguntino S. Rom. Imp: Principi Electori &c. A

LEO PP. X.

Dilecte fili noster salut. et aplicam. ben. Gratissimas accepimus Cir.nis tuae literas manu propria scriptas, plenas amoris atque observantiae, in quibus, quod postulas à nobis, de tota illa permutatione et recompensatione facienda, quid adhuc egerimus, aut posthâc cogitemus agere, ut tuae morem, quantum Dnus dederit, geramus voluntati Dilectus Marinus Caracciola, Notarius noster ad Caesaream destinatus Nuncius tibi uberius exponet. Quem nos ipsum cum et antea meditaremur, in hanc legationem mittere, ejus quidem virtute et prudentia adducti sed illa imprimis ratione, quo eum Cir.ni tuae gratum esse intelligebamus, supervenerunt literae tuae, hoc idem à nobis requirentes, quare omni cunctatione discussâ, negotium illi statim dedimus, ut acceleraret, rebusque omnibus tibi communicatis, uteretur imprimis gratia consilio et favore tuo. Non n. te non oia facturum certum habemus, quae huic Stae Sedi cujus tu nobile membrum es, ampla cognoveris esse et honesta. Quin et Rosam Auream vetere